



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

10. De tempore petendi Apos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

dit, se ex hac causa gravatum, quod exceptionem suam non admiserit, c. *Dilectis. Interposita* 70. h. t. vel ea neglecta ulterius processerit, c. *Ex parte* 97. h. t.

6. Rursus appellatio à definitiva potest ex novis actis seu causis & probationibus justificari, l. *Et* §. 1. *Cod. eod. l. Per hanc Cod. de tempor. & reparat. appellat. nonum* 7. Appellatio verò ab interlocutoria justificanda est ex antiquis actis, Clem. *appellanti eod. tit.* quia ab interlocutoria non appellatur, nisi Judex injuriam fecerit appellanti. Illa autem injuria non potest detegi, nisi ex iisdem actis & causis, coram Judice à quo deductis, non autem de novo deducendis: nisi aliquid de novo veniat in notitiam appellantis, arg. c. *Insinuans sup. de officio jud. delegati*; vel nisi interlocutoria contineat gravamen irreparabile, ut si Judex pronuntiarit aliquem torquendum; aut alias habeat vim definitivam; aut appellans obtulerit causas gravaminis & probationis coram Judice à quo, non & fuerit admissus: aut sententia lata sit contra contumacem: quia his casibus justificari potest ex novis actis causis & probationibus.

8. Denique, ut alias differentias omittam, in interlocutoria Judex à quo, nisi detulerit appellatiōni, aut contineat gravamen irreparabile, licet procedit donec illi, parte legitime citata, sit inhibitum per Judicem ad quem, c. *Non solum eod. in 6.* valetque processus, c. *fin. de del. in 6.* etiam absque ulteriori citatione appellantis: ex quo is appellando videtur se facere contumacem, & declarare, quod non velit comparere, d. c. *fin.* Nec potest Judex ad quem inhibere Judicem à quo ulteriores progressus, priusquam constiterit legitime fuisse appellatum, *Gloss. in c. Romana eod. in 6.*

9. At pendente appellatiōne à sententia definitiva nihil innovandum est, l. *Appellatiōne Cod. eod. d. c. Non solum eod. in 6.* quia statim atque interposita est, ligat manum Judicis à quo. Idque obtinet etiam ante interpositam appellatiōnem intra 10. dies.

§. X.

De tempore petendi Apostolos.

1. 2. *Apostoli qui & unde dicantur.*
3. *Sunt triplices, Dimissorii, Reverentiales, Refutatorii.*
4. *Petendi & recipiendi hodie intra tringinta dies.*
5. *Qui dies currunt à die scientiæ.*
6. *Potest tamen Iudex breviorē terminum statuere, non longiorē.*
7. *Tu: & est statim à lata sententiā petere Apostolos.*
8. *Quæritur, an appellatiōne extrajudiciali peti possint.*

1. **A**ppellatum esse, aut statim, aut ex intervallo, non sufficit, nisi etiam appellans intra statutum tempus petat Apostolos, id est litteras dimissorias, quas Judex, à quo appellatum est, transmittat ad Judicem, ad quem appellatum est, in testimonium & fidem appellatiōnis interpositæ. Sunt igitur Apostoli etiam pars appellatiōnis, ut late Scaccia, *quæst. 12. num. 24.*

Dicuntur ergo Dimissoriæ litteræ, quia, ut dixi, per eas causa transmittitur ad Judicem, qui appellatus est, l. *Dimissoria* 106. D. *de verb. signif. l. unica D. de libellis dimiss.*

2. Dicuntur etiam Apostoli id est Nuntii à Græco *ἀποστολλή* quod est Mitto, quia mittuntur ad Judicem ad quem, ut de causa appellatiōnis instrui possit.

3. Sunt autem Apostoli, qui hic usum habent in triplici differentia, nempe Dimissorii Reverentiales & Refutatorii, Dimissorii sunt litteræ, ad Judicem appellatum directæ, testificantes de appellatiōne, coram Judice à quo, vel honestis personis, interposita & admisa.

Reverentiales sunt, quando non ob causæ justitiam, sed solum ob reverentiam superioris, ad quem appellatur, Judex a quo desinit appellatiōni, *cap. 1. eod. in 6. l. Eos 9. §. super his Cod. de appellat.*

Refutatorii sunt, quibus Judex à quo significat Judicem ad quem, se non admisisse appellatiōnem, de quibus *in l. fin. §. in refutatoriis C. eod. Gloss. in d. c. 1. in V. exhiberi*: adjecta etiam causa, eum appellatiōnem rejecerit, d. c. 1. *l. perult. D. de appellat. non recipiam.* Alias si recuset absque justa causa desistere appellatiōni, punitur, c. *Cum parati* 19.

10. *Et de prioribus 31. h. t. l. Quoniam iudices Cod. eod.* quia iudex à quo non deferens appellationi legitime interposita, lædit & turbat superiorem iudicem in sua iurisdictione.

4. Olim petendis & recipiendis Apostolis, ac iudici ad quem porrigend s, præscripti erant quinque dies, Paulus V. *Sent. tit. 34. can. Ab eo 2. quæst. 6.* & intra hos dies de iure Canonico instantes & sæpius, saltem uno contextu, peti debebant. Postea præscripti sunt triginta dies, intra quos similiter instantes & sæpius, saltem uno contextu, peti debent: alioquin si intra dictos xxx. dies appellatus Apostolos non petat, vel non recipiat, censetur appellationi renuntiasse, eaque proinde efficitur deserta, *d. can. Ab eo 2. quæst. 6. Clement. Quamvis h. tit. e. eod. in 6. l. iudicibus 24. Cod. eod. l. unica D. de libellis dimissis.* Et ideo iudex à quo sententiam, à qua appellatum est, executioni mandare potest, petinde ac si ab ea appellatum non esset, *e. Constitutus 45. h. tit.* Similiter efficitur deserta appellatio, si Apostolos oblatos intra idem tempus recipere recuset, *d. Clement. Quamvis h. verum.* Quod si verò per iudicem à quo stet, quo minus eos recipiat, debeat de eo protestari, *d. Clement. Quamvis:* & si absque causa intra eos dies dedecit, puniendus est, *d. l. iudicibus,* Quinimò post elapsum tempus potest appellans iudicem à quo coram iudice, ad quem provocavit, convenire, *l. Si appellationem 31. Cod. eod.*

5. Verius autem est, dies hos currere à die scientiæ, quo quis sententiam latam esse intellexerit, & à quo habuit facultatem appellandi, ne alias hoc inconveniens eveniat, quod ignorantia præclusum sit tempus petendi Apostolos, cui nondum præclusum est tempus appellandi, Maranta 6 p. *actu 2. n. 130.* Et ideo *d. l. iudicibus,* definiens, currere tempus à die late sententiæ, intelligi potest, quando appellans habuit notitiam sententiæ late: vel incontinenti à sententia lata viva voce appellavit: ut sic concordet cum *c. Ab eo eod. in 6. & Clement. Quamvis,* quæ volunt currere à die appellationis interjectæ.

6. Atque hæc ita intelligenda sunt, nisi iudex à quo breviorum terminum petendi Apostolos statuerit appellanti. Nam licet verius sit, non posse longiorem præscribere, Capel. Thol. *decis. 44.* tamen breviorum præscribere

potest, quo elapso, si non fuerint petiti, non minus efficitur appellatio deserta, quam lapsus xxx. diebus; quia eiusmodi terminus brevior, à iudice præscriptus, succedit in vicem termini iuris, & eundem parit effectum, *e. Ex insinuatione 50. h. t.*

6. Tamen si autem sufficiat intra terminum, sive iuris sive hominis, petere Apostolos, etiam ultima die: nihilominus tutius est, eos in continenti & simul cura appellatione petere: quia si appellatum sit à definitiva, iudex à quo postpositos Apostolos nequit ulterius procedere, nisi prius dederit refutatorios, quamvis appellatio esset mere frivola. At verò quando appellatio est frivola potest etiam non petitis Apostolis ulterius procedere.

7. An verò etiam in appellatione extrajudiciali peti Apostoli debeant, quaeritur. Et distinguendum est: vel enim appellatur à iudice extrajudicialiter procedente; & tunc peti debent, quia est, qui eos dare potest, nempe iudex à quo: vel appellatur à parte; & tunc non est necesse eos petere, quia non est, qui eos det. Quamvis tutius sit etiam tum petere, sub hac conditione, si sit, qui dare possit. *Staccia De appellat. q. 1. art. 2. n. 31.*

Denique si quaeratur, cujus expensis dandi sint Apostoli, communis responsio est, dandos esse expensis appellantis. Maranta *d. l. nu. 214. Staccia q. 14. n. 114.*

§. XI.

Quibus appellationibus sit deferendum.

1. 2. 3. *Quatenus iudex puniendus, non deferens appellationi.*
4. *De ferre tenetur etiam appellationi ab interjectoria sententia.*
5. *Quod tamen fallit iure Canonico.*
6. *Nisi ex justa causa appelletur.*
7. *Ut & in dubio deferri satius est.*
8. *Concil. Trident. hæc de re sanxerit.*
9. *Stylus Curia Romana.*
10. *De appellationibus ad futurum Concilium, ad tribunal Dei.*

Dixi iudicem à quo, si recuset deferre appellationi, puniendum. Nam regulatiter tenetur deferre cuiuslibet appellationi, adeo ut, si non deferat, quando est interposita ex iusta